

Beihetf

2.

S 124

1290 Nov. 7.

[69]

Matthias von Raesfeld verkauft dem Kloster Varlar den Hof Schwetering,
Köpl. Osterwick.

Omnibus, quibus praesentia exhibita fuerint, Matthias de Raesvelde et
Gisla uxor eiusdem honorem et notitiam rei gestae. Ad noticias omnium
praesentium et futurorum cupimus pervenire, quod nos ambo de plena animi
voluntate accedentibus ad hoc consensibus haeredum nostrorum et dominae
Sophiae maioris curtem dietam Schwetering, sitam in parochia Osterwick, cum
omnibus pertinentiis suis, sicut pertinuit nobis, vendidimus legali venditione
Joanni praeposito et conventui ecclesiae in Varlare pro quadam summa
pecuniae, prout inter nos ex utraque parte convenimus, amicabiliter et benigne
recedentes plane ab omni jure, quod nobis competiit vel quoquo modo com-
petere posset de curte superius annotata. Praedictam vero curtem sic legi-
time resignatam praesentavimus in manus Wernerii de Holdthusen, cellararii
de Varlare, loco praepositi et conventus de Varlare et in manus Goswini
militis dicti Brant, qui gessit vices officialis venerabilis fratris Everhardi
Monasteriensis episcopi, praesentibus probis viris, quorum nomina subsequun-
tur: Thidericus de Elen, Sophia mater Mattheiae, quae laudavit factum,
Joannes Cucke, Hermannus et Bernardus fratres sui, Adam dietus Palster
et plures alii fide digni. Propterea in certitudine[m] praemissorum ego
Matthias meum sigillum duxi praesentibus fideliter apponendum. Datum et
actum feria tertia proxima ante diem beati Martini hyemalis, anno Domini
millesimo ducentesimo nonagesimo.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 78.

124